EPICRISIS OBSERVATIONUM CL. BELLEY ACADEMICI PARISINI IN...

Joseph Khell von Khellburg





Biennium pene iam effluxit, Viri Inluſtriſſimi, a die illa mihi multo lætiſſima, atque perhonorifica, qua me in nobiliſſimum veſtrum conlegium cooptatum fuiſſe publicis ex tabulis intellexi, fateor, non levi me illico pudore ſubfuſum, cum me, qui id honoris ne petere quidem mihi ſumſiſſem, repente in ampliſſimo coetu & ſanguinis claritate, & omni eruditione conſpicuorum virorum conſtitutum circumſpexi; ubi me ex jucundiſſimo quodam ſtupore conlegi, nihil prius apud animum decrevi, quam efficere, ut ſi in minus merentem, ſaltem non in ingratum ampliſſimum beneficium conlatum experiamini.

Destinaveram vobis quantocyus conmentationem aliquam in columnam milliariam perelegantem Septimii Severi Imp. duobus abhinc annis in Hungaria erutam, atque proxime elapso in atrio bibliothecæ Garellianæ magnifice, ut condecebat, a me dedicatam, verum cum opuscula duo, quæ sub manu erant, scilicet libellus de numo Augusti aureo ex Herculanensibus ruderibus protracto, qui ad amicorum preces elaboratus, non Vindobonæ solum, sed Lipsiæ etiam eruditorum actis postremis ad verbum insertus iam lucem vidit; & subplementum ad numisinata præstantiora Vaillantii aurea, & argentea ex solis museis Austriacis nuper admodum ad prælum typographicum ex scrinio translatum; tum illud potissimum abstinuit, quod hactenus chorographicam tabellam ejus regionis, in qua præclarum hoc monumentum repertum fuit, quidquid egeram, nactus non fui, sine cuiusmodi subsidio, ut videtis ipsi, in argumento, quod intineraria spectat, neque adcurate, neque nitide scribi quidquam potest.

Ita fluctuans, atque aliud quid in tomo XXVII. *del' Acad. de bell.s lettres* inquisiturus percommode incidi in paginam 154. partis prioris, quam *Historiam* nominare solent Parisini, mirabar, qui factum sit, ut observationes contra Inlustrissimi Stoschii epistolam ad vos anno CIƆIƆCCLV datam, alias transiliverim, atque illud etiam non parum, amicissimum Belleyum adsertionem de Magniæ Vrbicæ Carini uxore, ad hoc tempus mihi minime dubiam, convellendam sibi sumsisse.

Videbatur illico argumentum nobilissimo vestro senatu dignum, si vindicias & Urbicæ, & Stoschii Clarissimi susciperem; adliciebat cum eadem adjunctorum ratio, neque enim alia de causa epistolam eam vobis inscripsit, quam ut pro honore Cortonensis academici in se conlato gratias ordini vestro referret, tum viri eruditi dulcissima amicitia invitabat, retinebat tamen etiam illa, quæ cum ornatissimo Belleyo,

conci-

conciliante optumo Pellerinio, mihi coaluit; verum facile me hinc perlectis ejus obſervationibus expedivi, nam ut multa & gravia ad eas refellendas mihi in mentem venerunt, ita vidi virum honeſtiſſimum nihil præ veritate æſtimare magis. Quare confidenter adſero, per injecta a Cl. Belleyo dubia aut Magniam Vrbicam Carini thalamo nunquam extruſam, aut ſi apud aliquos id foret, eidem reſtituendam eſſe.

Pretioſum Stoſchii numulum epicriſi præfixum potius demonſtrare, Magniam Carini matrem, quam uxorem fuiſſe, ex antiquis monumentis cum hiſtoria conparatis efficere adlaborat eruditus Pariſinus, iisdem ipſe depugnabo armis; Præcipuos argumenti in conpendium contracti nervos ſub unum conſpectum do, ita ratiocinatur Vir Clariſſimus: Magnia Vrbica non poterat eſſe uxor Carini, ergo matrem fuiſſe eſt neceſſe, quia matres etiam in filiorum ære conparent. Singula mecum expendite Socii Ornatiſſimi; uxor eſſe non poterat. Eccur illud, dum tamen in averſa ejus capiti conjungitur, ſicut Salluſtia Barbia Orbiana Alexandro, Decio Etruſcilla? prohibent id vagæ nimis Carini libidines: atque potiſſimum luculentum Vopiſci teſtimonium *in Carino pag.* 302. *edit. Wechel: Uxores ducendo, ac rejiciendo novem duxit, pulſis pleriſque prægnantibus.*

Nempe Vopiſcus unus hoc narrat, Suidæ excerpta puerorum ſtupra ſolum conmemorant, Eutropius L. IX. τῶν δὲ ait, τὰς εὐνὰς ὕβριζεν *horum quidem thalamos contaminabat*, ne verbulo de tam turpi matrimonii inconſtantia injecto; aſt cum huiuscemodi probris ſane conjugium aliquod conſiſtere poterat, imo Eutropii verba id indicare videntur aliquo modo. Similia fere de Domitiano legimus in Suetonio *L. VIII. pag.* 664. *edit. Grævii. Contrectatis multorum uxoribus Domitiam Longinam Ælio Lamio nuptam etiam in matrimonium abduxit.*

Sed tribuamus aliquid Vopiſco, qui non ſolum inter hiſtoriæ auguſtæ ſcriptores majorem laudem habet, ſed Fulvium Aſprianum etiam legit, ex quo tamen præ enormi luxuria præſtitiſſet matris & uxoris nomina adnotare, tribuamus, inquam illi aliquid, novem uxores & duxerit, & rejecerit etiam prægnantes, an non harum unam poſtliminio recepiſſe poterat, cujus effigies ad nos usque in numis transmiſſa fuerit? Quam in omnem libidinem projectum, quam in conjugio inconſtantem ſcimus Elagabalum?

Prima Cornelia Paula, quam teſte Dione ſplendidiſſimis nuptiis duxerat, matrona honeſtiſſima ac pulcerrima, & quidem ut Herodianus *L. V.* ſcribit: μετ᾽ὀλίγον χρόνον *paullo poſt* repudiata, Aquiliam Severam ex ipſo Veſtæ ſacrario rapuit, de qua idem adjicit: μετ᾽ ὀ πολὺ ἀπεπέμψατο, *ſed eam quoque non multo poſt dimiſit.* Eadem narrans Dio *L. LXXIX. pag.* 911. *edit. Wechel:* καὶ οὐδὲ ἐκείνην μέντοι ἐπὶ πολὺ κατέσχεν *neque tamen hanc diu retinuit*, ſubjungit: ἀλλὰ ἑτέραν, εἶθ᾽ ἑτέραν, καὶ μάλα ἄλλην ἔγημε· καὶ μετὰ τῦτο πρὸσ τὴν Σευήραν ἀπενῆλθεν. *Sed aliam, deinde aliam, atque aliam duxit, poſt ad Severam redivit.* Has inter Anniam Fauſtinam fuiſſe, ex hiſtoricis numorum adminiculo diſcimus.

An non hic iam totidem fere uxores tenemus, quot Carino adſcribit Vopiſcus? ſeptem nuptiæ & quidem ab auguſto celebratæ in conperto ſunt; adtamen harum mox repudiatarum auguſtarum trium, omnium antiquariorum confeſſione, in numis effigies inter rariora cimelia conſervamus, idque non obſtante varia illa per omne ſcelus libidine. Eccur una Vrbica eodem in numo cum Carino conſignata ejus uxor negabitur, qui, ſi etiam Aſpriani conmentarios legiſſemus, propudioſo vivendi genere multo inferior Elagabalo, cur, inquam, hæc uxor negabitur, idque ob unicum Vopiſci locum, qui forſan ipſi Cl. Belleyo infirmior fuiſſet viſus, niſi illum numo majoris formæ ſubcollaviſſet, de quo paullo inferius.

Si-

Sine miſſili illo ad oſtentationem & memoriam flato numiſmate Vopiſcum, vel potius ea, quæ ex ejus verbis deducuntur, infirmabo & evertam, idque non ſine alio hiſtorici ejusdem teſtimonio; *Uxores ducendo ac rejiciendo novem duxit.* Aſt quando per hæc vaga conjugia ſe volutavit? nego id factum, dum cæſar in Galliis ageret, nego, ab auguſto, qua in ſententia obſirmatus perſiſto, dum probabili aliqua ratione, aut hiſtorici luculento teſtimonio ab illa me deturbabit aliquis, id quod fiet nunquam. Ad vitam privatam ante menſem auguſtum anni V. C. 1035, quo Carus parens imperium adivit, hæc multo probabilius rejicio; Scio quidem Vopiſcum hæc ſcripſiſſe, poſtquam præmiſerat: *Hic* (Carinus) *cum decretis ſibi Galliis atque Italia, Illyrico, Hiſpaniis, Britanniis, & Africa relictus a patre Cæſarianum teneret imperium.* Verum oblitum eum, quid ſuperius in Probo *ſub finem* narraverat, omnia Carini crimina hic unum in locum parum adcurate, nulla nempe temporum diſtinctione ſervata, congeſſiſſe adſero.

Narrat loco indicato: *cum eſſet nunciatum, Carum imperare, virum bonum quidem, ſed longe a moribus Probi, cauſa filii ejus Carini, qui* SEMPER PESSIME VIXERAT, *tam Senatus, quam populus inhorruit, metuebant enim unusquisque triſtiorem principem, ſed magis* IMPROBUM *hæredem.* Quivis mihi adſentietur, ad hoc ut ſenatus, & populus ad nunciatam Cari electionem inhorruerit, ut hiſtoricus Carinum IMPROBVM, eum, qui SEMPER PESSIME VIXERAT, ſcribere potuerit, grandia aliqua ſcelera præcedere debuiſſe, & quæ illa? an civium oppreſſiones, rapinæ, per innocentum cædes furens crudelitas? quis hæc cum privata juvenis vita conciliabit? Quare ſtuprorum licentia, & quod offendebat plurimum, toties contemta conjugii ſanctitas eſſe debebat, quod ſenatum & populum adeo graviter commoverat.

His

His ita conſtitutis an non ad repudiatarum conjugum aliquam aut cæſarem, aut ſaltem auguſtum exemplo Elagabali, & ſpe continuandi in filiis imperii, præcipue fratre occiſo, eum rediviſſe multo eſt probabilius? profecto Carini numi iam auguſti titulo inſcripti cum averſæ partis epigraphe: AETERNIT., atque ſigno mulieris ſ. veſtem adducentis, d. phœnicem tenentis, præſertim ſi Cl. Begeri obſervationem *Theſ. Brand. T.* II. *pag.* 773. adjicimus, commune hoc principibus deſiderium conprobare, quemadmodum uxorem magnificis illis ludis Romæ V. C. 1037. pridie idus ſeptembris editis adſuiſſe Calpurnius indicare videtur *Eclog. VII. v.* 78.

Dic age, dic Corydon, quæ ſit modo forma DEORVM,
Cor. *O utinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet*
Vidiſſem propius mea numina.

Etenim ignorare non poterat Calpurnius, Numerianum tum ad exercitum in oriente abſuiſſe, de quibus ergo præſentibus diis, quorum formam exquírit tam ſolicite Lycidas, ſermo eſſe poterat, niſi conjugem, de qua in vulgus conſtabat, lateri adhæſiſſe non dubitaviſſet, quam quidem vidiſſe ſe, in uno Carino defixus (ut eminus conſtitutus, etiam præſentem vidiſſe non poterat) non conmemorat Corydon.

Adcuratius multo, quam Vopiſcus privatam & publicam Carini vitam diſtinxit Suidas *in excerpt. pag.* 874. *Edit. Wecbel.* qui dum narraſſet: Καρῖνος γενόμενος ἐν ἐξουσίᾳ βουλήσεως κύριος, ἀνέδραμεν τηλικοῦτον κακὸν ἐς τυραννίδα, οὕτω καὶ τοὔνομα τοῖς ἔργοις μακρῷ παρῆλθε. *Carinus in poteſtate conſtitutus ſuo arbitratu agendi omnia, in acerbiſſimam tyrannidem ita proruit, ut tyranni nomen factis multum fuerit prætergreſſus*, ſubjicit quotidiana puerorum ſtupra, quibus nempe ab adoleſcentia, quam *improbus peſſime vixit*, inſueverat, proſequitur: Ὁ δὲ ἐγκλήματάτε ἀνέπλατ-

τε,

τε, καὶ ἐδίκαζε τοῖς ἀδικουμένοις, καὶ τῶν δικαζομένων οὐδεὶς ἐσώζετο. *Crimina etiam comminiscebatur, & jus dicebat iis, qui læsi fingebantur, neque litigatorum aliquis incolumis evasit.* Et post pauca de promiscuis optimatum cædibus a Carino editis loquens, ne verbo de novem conjugiis facto: μεμνῆσθαι, ait, δὲ τῶν κατακοπτομένων ἔφασκε τῶν μὲν ὅτι οὐκ ἐπῄνησαν αὐτοῦ τὸ κάλλος, τῶν δὲ, ὅτι λέγοντα, ὅτε ἦν μειράκιον, οὐκ ἐθαύμασαν,] ὡς ἐβούλετο. *Meminisse autem se dicebat, quosdam eorum, qui trucidabantur, non laudasse suam formam, alios se puerum, dum orationem diceret, non ita fuisse admiratos, ut volebat.*

Sistamus hic tantisper: has ergo & id genus injurias nec tum, nec in adolescentia, verbo antequam esset ἐν ἐξουσίᾳ βουλήσεως κύριος *in potestate quidlibet suo arbitratu agendi* criminationibus, verberum tempestate, vulneribus inflictis est ultus; videant, velim, qui mecum non sentiunt, ne privatam Carini vitam innocentissimam, aut non tam *inprobam* certo faciant, ut ad primos nuntios, qui non Carinum, sed parentem virum probum & sapientem ad purpuram evectum fuisse referebant, senatus populusque merito inhorrescere potuerit, nisi præter libidines illi ætati tum admodum communes contracta, dissolutaque per turpissimum fidei datæ & sanctitatis contemtum novem conjugia, uxorum plerisque prægnantibus per summum nefas abjectis ad anteriora ea tempora rejiciantur. Historiam, qua parte Magniæ Vrbicæ iniqua videbatur, removi, a Vopisci testimonio ita salvam illam præstiti, ut felicior Corydone ludis Romanis cum conjuge præsentem augustam intuear.

Ast monumenta vetant, eam Carini fuisse uxorem; Quæ illa? numus formæ maximæ perelegans ex museo. Em. Cardinalis Albani, in cujus parte antica caput Vrbicæ, in postica Pudicitia sedens repræsentatur, adsistente ad sellam Felicitate, ad pedes adstantibus dua-

B bus

bus icunculis, quæ ſedentis genua parum admodum ſtatura excedunt; tum numi alii in quibus filiorum capitibus etiam matrum vultus conjunguntur; Ordine rem perſequar. Intulit ex icunculis in maximo illo numiſmate cælatis jam ſeculi hujus anno IV. Cl. Genebrierius Carinum, & Numerianum, atque ex his facili conſecutione Cari uxorem Vrbicam fuiſſe.

Miror medicum ad Pudicitiæ ſignum de liberis cogitaviſſe: ſcio, ex pudico thoro prolem meliorem, certiusque fere provenire, quam dum vagis adulteriis contaminatur, verum quis ſibi perſvadeat, monetarios tam longinqua circuitione matrem cum filiis deſignare voluiſſe? præter eorum morem ejusmodi ſunt ænigmata. Ut omittam, nunquam auguſtas ſub Pudicitiæ ſpecie exhibitas fuiſſe a monetæ ſcalptoribus.

Monumenta antiqua inter ſe conparanda ſunt, ut ne aliquid ad ſcriptoris arbitrium ex iisdem exugatur: dearum ſigna adulatione Græcula adhibebantur, viles nimium inferiores videbantur Genii, ita leges: CERES. AVGVSTA., VENVS. AVGVSTA &c. contra ubi de Geniorum imaginibus res eſt AVG. adjectum AVGVSTAE legendum eſſe, numi paſſim conprobant, virtutem nempe eam in auguſta, puta pietatem, liberalitatem, pudicitiam aut laudabant, aut optabant potius, qui pecuniæ feriundæ præfecti erant. Cedo numum, cujus epigraphe ſit: PVDICITIA. AVGVSTA. quæ ſane in maximo, de quo agimus, numiſmate ſpatium ſat amplum habuiſſet; unicum ex Mediobarbi poſtrema editione Etruſcillæ numum proferes, ſed is male ex Vaillantio, qui ibidem indicatur, eſt deſcriptus, nam & Pariſina editio anni 1692., & Romana ſolum AVG. habent.

Pro-

Probabilius aliquid conclusisset Genebrierius, si cum *Fecunditatis* typo, & inscriptione sigilla hæc conjuncta vidisset, quanquam etiam eo in casu ex conparatis numis aliis, quod peritissimi hodie magistri exemplo facere soleo, grave mihi dubium semper hæreret, an de Carino & Numeriano pronunciari posset aliquid vel modica veri specie subfultum. Carinus tot iam annos natus erat, quot, si mores demis, confessione ipsius patris constantem in regenda provincia principem promittere poterant: Numerianus is fuerat sub aditum a Caro imperium, qui teste Vopisco *pag.* 301. *versu talis prædicatur, ut omnes poetas sui temporis vicerit, nam & cum Olympio Nemesiano contendit &c. hujus oratio fertur ad senatum missa tantum habuisse eloquentiæ, ut illi statua non quasi cæsari, sed quasi rhetori decerneretur in bibliotheca Vlpia, cui subscriptum:* NVMERIANO. CAESARI. ORATORI. TEMPORIBVS. SVIS. POTENTISSIMO. Carinus novem, ut mihi ostendisse videor, iam uxores duxerat, Numerianus probabilius iam Apri filiæ junctus, & hi tanquam pupuli in matris, atque inpudentissimus quidem Carinus in ipsius Pudicitiæ gremio ludens, Numerianus statua ob eloquentiam honoratus ad infantis pene sesquipedalem icunculam redactus repræsentati fuerint?

Quam alienum hoc sit ab monetariæ officinæ usu, numi Sept. Severi, Iuliæ Piæ satis ostendunt, vultus nempe aut protomæ filiorum Caracallæ & Getæ parentum capitibus adjiciebantur, quemadmodum ipse Carinus cum Caro patre in numismate formæ maximæ inter præstantiora Vaillantii *T. III. pag.* 220. *edit. Rom.* conparet. Ast objicit ex Genebrierio aliquis ejus sectator, nequaquam id præter morem scalptorum monetalium fuisse, satis liquere ex numis Trajani, & Commodi, qui publico in ære sub icunculæ specie pallio Jovis proteguntur; addi potuissent etiam alia M. Aurelii, & L. Veri numismata maxima, in quibus hi eadem statura, & situ cælati sunt. Nihil his ab

ſententia dimoveor, deorum & de majorum quidem claſſe tutelæ cum imperatores, tum adultiores etiam filii commendati in numis exhibebantur velut parvuli clientes, verum prodatur ſimile exemplum publica in moneta, dum de Genio, aut Virtute, ut vulgo loquimur, in deorum infimis ſubſelliis conſtituta, ut hic de Pudicitia, res eſt.

Ne quis ut ſigilla Carini & Numeriani defendat, ad Otaciliæ Severæ numum inter quatuor maximos poſtremum, a Cl. Baldinio etiam cælo depictum confugiat, de quo editor Romanus: *Figura muliebris velata ſedens, d. velum extendit, ſ. ſcipionem transverſum geſtat, pone ſellam Felicitas ſtans d. caduceum, ſ. cornu copiæ. Ante pedes puer, & puella.* Idem vir eruditus ſecundo loco alterum adnotavit, paullo diverſum ex muſeo olim Carpineo cum epigraphe TEMPORVM. FELICITAS, quem ſic deſcribit: *Otacilia velata ſedens in throno, ad latera duo filii* (liberi ſcribere volebat) *mas & femina.* His inter ſe comparatis neſcio, an virum clariſſimum in ultimo numiſmate, quod primo loco hic commemoravi, poenituerit, aliquid de liberis Otaciliæ intuliſſe, contentum hic adnotaviſſe: *Ante pedes puer & puella.*

Monebam, ne quis huc ſe recipiat, nam in Otaciliæ filia, ſi non in ipſo Philippo puero quam certiſſime adhæreſcet; neſcio, quo infortunio antiquariorum aliqui in unum Zoſimum inpegerint, ex quo generum Philippi, atque adeo Otaciliæ filiam ſe producturos exiſtimabant, nihil enim hinc ad eorum cauſam commodi, ita ille *L. I. pag.* 641. *& ſeq.* Ἐπεὶ δὲ εἰς τὴν Ῥώμην ἀφίκετο - - - ᾠήθη δεῖν τὰς μεγίστας τῶν ἀρχῶν τοῖς οἰκειότατα πρὸς αὐτὸν ἔχουσιν παραδοῦναι, καὶ Πρῖσκον μὲν ἀδελφὸν ὄντα τῶν κατὰ Συρίαν προεστήσατο στρατοπέδων, Σεβηριανῷ δὲ τῷ κηδεστῇ τὰς ἐν Μυσίᾳ (arbitror Μοισίᾳ rectius) καὶ Μακεδονίᾳ δυνάμεις ἐπίστευε. *Vbi Romam advenit - - - exiſtimabat, e re quam maxime futurum, ſi ampliſſimis muniis viros ſibi arctiore neceſſitudine conjunctos præficeret; itaque Priſco fra-*

tri

tri Syriacos exercitus tradidit, Mæsiæ, Macedoniæque copiis Severiano genero (ita quidem Leunclavius vertit.) *concreditis.*

Qui Græce novit, nescire non poteſt, quam late pateat notio vocabuli τοῦ κηδεστοῦ, adfinem designat, scio, peculiarius pro *genero* accipi, verum legi etiam oratione prima Demoſthenis Eξ OΥλης contra Anetorem dicta, qui Aphobo sororem in matrimonium conlocaverat, πρὸς Ονήτορα - - κηδεστὴν ὄντα αὐτοῦ, quod nisi γυναικάδελφον indicare non poteſt. Clarius idem docet Andocides *Orat. de myſter. pag.* 7. *edit. Henrici Stephani,* ubi Charmidem loquentem inducens hæc habet: πρῶτον μὲν σεαυτὸν σῶσον - - - - εἶτα δὲ τὸν κηδεστὴν, ὃς ἔχει σου τὴν ἀδελφὴν, ἥπερ σοι μόνη ἐστιν. *Primum te ipſum ſerva - - - -, tum* κηδεστὴν, *qui unicam tuam ſororem conjugem habet.* Quis iam ob unius Zoſimi locum, eumque vagum & ambiguum, aut ob ſolius Leunclavii nullo argumento firmatam, atque adeo arbitrariam interpretationem Otaciliæ Severæ filiam adfinget, dum probabilius multo ejus frater Severianus, quam maritus filiæ haberi debet.

Verum ſinamus hæc, fuerit gener Severianus, nemo tamen efficiet, filiam anonymam in numo Otaciliæ repræſentari, non fruſtra ſuperius Zoſimi locum recitavi, nempe adjuncta perpendenda; generum interpres, κηδεστὴν Zoſimus dicit Severianum, dum Philippus Romam veniſſet, ergo Otaciliæ filia iam ante patris per Gordiani cædem partum imperium Severiano nuptui tradita fuit, alias enim probi hiſtorici fuiſſet monere, a Philippo iam auguſto ſibi hunc virum militiæ clarum per filiæ nuptias conciliatum, aſt ne hilum quidem de hoc conſilio, aut de Severiani virtutis bellicæ laude etiam deinceps proditum legimus. Et hæc forſan iam aliquot prolium mater ad Otaciliæ latus in numo ſignata fuerit, & quidem cum ſeptenne fraterculo, ſi numus ſub aditum imperium flatus eſt, ut molis magnificentia aliquibus perſuadere poſſet?

Aſt an tam certa (en novum neque de leviſſimis dubium) an tam certa in Otaciliæ numo puellæ repræſentatio? ut ipſum fundamentum ſubfodiamus, qui utrumque depictum numiſma apud Cl. Baldinium intuitus fuerit, prima fronte pene jurabit, illum Vrbicæ eadem in forma flatum, eodem typario percuſſum fuiſſe, ita decuſſatus Felicitatis pes extremis utrimque digitis inſiſtit, caduceus eodem modo elatus, Pudicitiæ haſta ad eundem angulum inclinata, idem icuncularum geſtus, eadem literarum per orbem in epigraphe diſpoſitio, atque ita de aliis.

In paucis, quibus alter ab altero diſcrepat, ea omnia facile aut minori conſervationi, ut pallium Pudicitiæ non tantum in Magniæ Vrbicæ numo ad mediam ſellam defluens, pes nudus Felicitatis: aut pictorum nimiæ indulgentiæ, qua in ductus ſibi magis uſitatos ab autographo abſcedunt, tribui poſſunt, hanc licentiam mecum nemo, qui plures ab iis numos pingi, cælarive fecit, ignorare poteſt, atque in rem præſentem ſerviet idem Vrbicæ numus a Bandurio *T. I. pag.* 510. iconiſmo propoſitus; ſi hæc mea admodum probabilis ſubspicio obtineret, an non aut in utroque duos mares, aut puerum cum puella haberemus: atque tum, cui ita placeret, aut Carino ſoror, aut Philippo frater, neſcio, quo operæ pretio, indagandus foret, conrueretque opinor, quid quid his ſigillis pro arbitrio eſt ſuperſtructum.

Optarem ſane, ut, quia ambo numi alter ex Carpineo, ex Albano alter iam in Vaticanum muſeum conmigraverunt, ab erudito antiquario pictoriæ etiam gnaro, qualis præ omnibus eſſet Cl. Winckelmannus, quem Virum Germaniæ ſiniſtro fato ereptum, ut ſummi facio, ita honoris cauſa nomino, optarem, inquam, ut adcurata conparatio inſtitueretur, forſan viri iſtiusmodi ſententia conjectio mea conprobaretur. Verum ſit etiam tale diſcrimen, quod eandem, ut ita loquar,

matri-

matricem respuat, id sane nemo negabit, aut posteriorem Vrbicæ ad prioris exemplum effictum, aut potius tam hunc, quam alterum Otaciliæ in monetariam officinam traductum fuisse ex statua, & quidem, quia nunquam anteriore tempore cum hoc signorum adjectorum adparatu Pudicitia conparet, sub imperio Philippi publice dedicata.

Neque mihi difficile est, probabili conjectura id stabilire. Novimus quanta pudicitiæ omnis profligatio, non in aula solum, sed in urbe fuerit vivo Elagabalo, legimus apud Lampridium *pag.* 212. in harum sordium perpurgationum iam incubuisse Alexandrum Severum, ita ille: *Balnea mixta Romæ exhiberi prohibuit, lenonum vectigal & meretricum, & exoletorum in sacrum ærarium inferri vetuit - - - habuit in animo, ut exoletos vetaret, quod postea Philippus fecit.* Idem de Philippo disertis verbis adfirmat Aurelius Victor *pag.* 520. *usum virilis scorti removendum honestissime consultavit.* Quid pronius, præsertim post splendidissimos in Vrbis millenario celebratos ludos, quam ut cives publico aliquo monumento, forsan iam sub Alexandro cœpto, obstrictum suum animum imperatori testarentur, idque singulari aliquo modo, Felicitatis nempe signo adstituto, quod alias a Pudicitiæ statuis abest: hanc enim stabilita pudicitia non tam in privatas familias, sed rem publicam omnem redundaturam eo certius sperare poterant, quo tristius sub exoletis magistratibus convulsa gemuerat.

Quis iam dubitabit, ad hunc sexui suo maxime convenientem decorem suis adhortationibus plurimum contribuisse Otaciliam augustam, quam Christianam hodie omnes habent? An proinde mirum, si a monetariis novissima hæc signa, ut eorum mos erat, in ejus numisma maximum, qualia fere in ludorum festis procudi solebant, inserta fuere? Sed quid de icunculis, de quibus maxime hic res est? adstitutas has fuisse monumento incertum esse arbitror; si fuere tamen, novo argu-

men-

mento confirmo Philippum filium deſignari non potuiſſe, ita Victor: *His actis filio Vrbi relicto - - - adverſus Decium profectus.* Nempe quem iam tertium in annum conlegam imperii, Vrbi præfecerat pater, eum deprecantis fere ritu ad Pudicitiæ ſtatuam finxerint ſcalptores. Ecquid præterea commune habet puella, ſi tamen eſt, cum Magnia Vrbica, quam ex Caro duorum filiorum matrem facere contendunt, qui diverſa ſentiunt?

Quis facile mentem artificum divinabit? hæſitavit non parum in Sabinæ, quæ nullam Hadriano prolem peperit, ſtatua ob puellum adjectum inluſtriſſimæ memoriæ Caylius. *T. I. pag.* 181. *Tab.* 60. Quem Oedypum habebit Getæ numus æneus ex muſeo ſuo a Mediobarbo ita deſcriptus *pag.* 302. *Figura muliebris ſtans 'd. baſtam, ſ. clypeum ad pedes duo pueruli nudi?* Age & ſignum Polyclis explica, de quo Pauſanias *Eliacorum L. poſt. c. 1. ſub finem*: ἡ δὲ εἰκὼν ἐπὶ τῇ χειρὶ ἔχει οἱ τῇ δεξιᾷ ταινίαν παρά τε αὐτῷ παιδία δύο τὸ μὲν τροχὸν κατέχει, τὸ δὲ αἰτεῖ τὴν ταινίαν. *Statua dextra manu tæniam gerit: præ illa pueli duo, quorum ille trochum tenet, hic tæniam adpetit.* An de filiis Eliaci hujus victoris inferemus illico? adjeciſſet, ut exiſtimo adcuratiſſimus Pauſanias: παιδία αὐτῷ, niſi obſervaviſſet, non tam ad hiſtoriam, quam ornatum ſigilla hæc pertinuiſſe, qui pictorum, & id genus artificum novit ingenia cum Pauſania ſentiet.

Mihi ſane in pupis ſeu Otaciliæ, ſeu Vrbicæ numo inſertis eadem ſomnia videre antiquarii aliqui videntur, qualia majores noſtri in numis Dyrrhachenis, & Apolloniatarum de hortis Alcinoi, in numis, quos χελώνας dicunt, de partita in quinque partes Peloponneſo, in aliis de cortina Pythiæ &c. docte ſomniaverunt. An non planius multo, ſi tamen puer, & puella in Otaciliæ numiſmate repræſentatur, quod ob grave, ſuperius indicatum, dubium repeto, an non, inquam, pla-

planius explicaretur, pudicitiam ad utrumque sexum & quidem primis pueritiæ annis hujus virtutis studio inbuendum pertinere? forsan a monetariis adjectæ sunt hæ icunculæ ad aream numi maximi conplendam? id sane conficietur nullo negotio, si puer & puella in Vrbicæ; mares duo in Otaciliæ numo in scenam prodiverunt.

Ast togati sunt in priore numo; Harduinus in simili numo Vrbicæ ex museo Croisati *Oper. Select. pag.* 875. de togato solum uno fatetur, alteram vero feminæ icunculam adserit, neque tamen de Numeriano, quem unicum Vrbicæ filium statuit, minimam cogitationem admittit, cives ei sunt mas & femina, qui augustis gratulantur, atque eorum vigilantiam & curam extollunt, qua pudicitiam in urbibus tutabantur pulsis meretricibus.

Verum sint sigilla ambo togis virilibus vestita, cives Romanos cum Harduino præ filiis habebo potius, qui non tam pudicitiam restitutam gratulantur, quam statuæ pulcritudinem ita admirantur, ut simul ex ingenio seu scalptorum, seu monetariorum *augustam* ejus (ita enim nominabantur statuæ, quæ non ἰσομετρηται naturalem hominis mensuram excedebant) aut si placet colosseam altitudinem statura sua indicent, atque forsan ipsorum artificum sigilla sunt. Simile quid Plinius *Hist. Nat. L. XXXIV. C.* 18. *pag.* 647. *& seq.* refert in hæc verba: *Fecit & Sp. Carvilius Jovem, qui est in capitolio, victis Samnitibus sacrata lege pugnantibus, e pectoralibus eorum, ocreisque & galeis: amplitudo tanta est, ut conspiciatur a Latiario Jove. Reliquiis limæ* (extremo artis opere & ramentis ex ære derasis) *suam statuam fecit, quæ est ante pedes simulacri ejus.*

Otaciliæ & Vrbicæ numos maximos satis diu in omnem partem discussi, tertium aliquod augustæ, quæ inter utramque interest,

atque Otaciliam proxime consequitur, formæ item ejusdem numisma, ut monumenta cum monumentis magis etiam comparemus, adjicio; est illud inter maximi moduli nummos apud Cl. Baldinium *T. III. pag.* 194. *edit. Rom. Vaill.* ex museo Pisano depromtum, atque lineari utrobique pictura expressum Herenniæ, in ejus aversa parte eadem inscripta epigraphe considet rursus Pudicitia situ fere simili; verum absunt liberorum augustalium, ut aliquibus videtur, cum ipsa adsistente Felicitate sigilla.

Si ex more tam stabili monetariorum fuit inde ab Otacilia ad Magniam Vrbicam, seu ab anno V. C. 908. ad 1036. proles principum ita repræsentare, ut certum argumentum pro augustarum fecunditate etiam hinc ducere non sint veriti antiquarii, cur in consequente augusta ab hoc discesserunt IIIviri? an non magis de filiis suis gloriari hæc mater hinc poterat, quam quæ demum cunque illa sit, Cari uxor? an non majorem sibi felicitatem sperare poterat ab Etrusco Decio, & Hostiliano cæsaribus res publica, quam a Carino, ad cujus nomen, & e longi quo prospectum imperium cum populo senatus inhorruit? Quis hic non videt, arbitrariam trium signorum in aliis duobus numis fuisse adjectionem, atque ejusdem momenti superstructam his explicationem? nempe ut in ejusdem templi repræsentatione iam hoc illudve ad ornatum pertinens omittebant monetarii, ita in exhibendis signis aliis se gerebant.

Denique ne aliquid omittam, quemadmodum in hoc numismate sedet sola Pudicitia, ita in duobus Vrbicæ rarissimis aureis musei Cæsarei & de France a me in subplemento ad numismata præstantiora Vaillantii proxime edendis sine omni comitatu adest eadem diva, ambos hos cum maximo illo flatos fuisse vix dubito, quia qui Pudicitiæ signum seu in argento, seu in auro referret, a Cl. Bandurio nullus fuit

fuit proditus; arbitror, si sigilla illa augusti liberos indicarent, multo magis in auro eosdem tanquam æternitatem imperii portendentes fuisse publicatos, id sane iterum monumenta docent, si vel solos Severi, aut Domnæ numos quis perlustraverit, quæ enim ad familiam augustam propius pertinebant, nobilioribus in metallis percussa invenies. Neque ad angustum areæ spatium confugere licet, ut enim de solis feminis loquar, habemus in Faustinæ senioris numis *Puellas Faustinianas* tam in auro, quam argento cum sigillis plurimis: in Junioris M. Aurelii conjugis *Fortunam muliebrem : Temporum Felic.* cum sex puellis: in Lucillæ monetis *Securitatem* cum tribus infantulis in denario argenteo: *Fecunditatem* cum palmite globo stellato, & quatuor pueris eodem in metallo.

Miror hic illum, qui Cl. Belley lucubrationem in conpendium contraxit, forsan non ea, qua debebat, in retinenda autoris sententia adcuratione, quod tam religiose, quam adfirmate adserit *pag.* 156. *mais M. L' abbé Belley pense, que M. le Baron de Stosch n'a pas dû conclure d'apres cette medaille*, (nempe illum, quem præfixi, numum capita Carini & Vrbicæ referentem) *que Magnia Vrbica etoit* indubitablement *la femme de Carin*; Contra vero sine ulla hæsitatione vix visis icunculis illis, si placet, togatis, quæ quam firmo pede consistant, fusius disputavi, vix visis inquam illis *pag.* 158. decernit: *Il est* demontré *par ce type, que Magnia Vrbica etoit la mere des deux jeunes hommes* &c. Hactenus sane plus conjunctis capitibus tribuimus, atque certior historica, aut numaria demonstratio eo ex loco petebatur, quam ab incertis omnino sigillis, verum de hoc inferius redibit sermo.

Et a Vopisci testimonio, & a numi maximi monumento antiquo, quæ ambo obstare videbantur plurimum, liberavi Vrbicam, poterat igitur esse Carini uxor; illud adhuc remorari posset, fuisse

eam probabilius matrem, quia hæ etiam cum filiorum capitibus in pecunia publica conjunguntur. Omitto huic argumento, quod superioribus potissimum nititur, iam nervos majore ex parte incisos esse, quod si etiam non foret, tam parum me hoc ferit, ut summa confidentia stilum convertam: non poterat, ajo, Vrbica esse Carini mater, ergo uxorem eam fuisse est necesse.

Telam ordior: Insolens est Cari & Carini ævo matres cum filiis in moneta conjunctas intueri, inde a, Mamæa nullum ejuscemodi bicipitem numum quis proferet; fateor quidem etiam inde ab Severina, quod quidem temporis intervallum, si cum alio conparatur, est permodicum, nullam conjugem eodem in ære cum augusto marito conparuisse, id solum quæro in hujusmodi controversia, cujusmodi præ manibus habemus, quid omissis aliis περιστασεσι, de quibus inferius minutim agetur, spectato solo monetariorum, aut principum more veri sit similius, Vrbicam matrem, an conjugem fuisse Carini. Sex matres filiis junctas, nempe Liviam cum Tiberio, Agrippinam utramque cum Caio & Nerone, cum Caracalla, & Geta Domnam, Soemiadem cum Elagabalo, denique cum Alexandro Mamæam recensuit Cl. Academicus, producturus ut existimo plures, si quæ forent aliæ, cum nec ab sororibus, nec ab filiabus abstinuerit.

Sex his undeviginti matronas, omissa etiam ob quorundam de sinceritate numi dubitationem Donata, quam Chifletius ob eandem rationem, quod capitibus Postumorum in aversa adjuncta est, Postumi thalamo intulit, obpono suis conjugibus etiam in metallo sociatas, scilicet: Messalinas duas, Octaviam, Poppæam, Domitillam, in numo consecrationis, Domitiam, Sabinam, Faustinas duas Antoninorum, Crispinam, Juliam Piam, Plautillam, Paulam, Aquiliam,

Or-

Orbianam, Tranquillinam, Otaciliam, Etruſcillam, Severinam has inquam, gynæceum profecto inſigne, quia duplo majus, obpono.

Veniat iam, fingamus, in manus numus exempli cauſa Druantillæ, quæ in hanc diem, auguſta quidem certa, conjuge tamen certo caret, veniat, inquam in manus rarum iſtiusmodi cimelium cum capite auguſti (quo in numiſmate C. Arioſti inluſtris memoriæ, à me proxime edendo caret) alicujus ex tyrannis puta Macriani junioris, aut alterius, de cujus uxore, aut matre nos hiſtorici deſtituunt, cedo quæ conſecutio obtinebit potius, an hæc: Druantillam matrem eſſe Macriani, quia ſex matres aliæ, neque plures cum filiorum capitibus in moneta repræſentantur? an hæc magis: undeviginti certæ uxores ſe cum mariti effigie cælata in numis minime dubiis ſiſtunt, igitur Druantilla etiam Macriani, cui conjungitur, conjux erit habenda?

Dum de matribus res eſt, ætas, quæ ex vultus ductibus conjicitur, negligenda eſt minime, videndum nempe, an filiis ſeu hiſtoria, ſeu numis ſpectatis congruat; quia maximorum illorum nullum ad manum habeo, teſtem produco, qui numum Croiſati Pariſiis vidit, Harduinum, cujus hiſtoriæ auguſtæ ſusdeque verſæ etſi nihil tribuendum cenſemus, oculos tamen antiquis numis adſuetos eidem erui non patiar, ita ille *Oper. Select. pag.* 875. *Magnia Vrbica in ſuis omnibus numiſmatis ætatem refert, qua poſſit Numeriani quidem mater cenſeri, non Carini, quo annis plus decem junior eſt.* Idem fere (de annis, quibus junior eſſet, loquor) conprobat Stoſchianus numulus, quem, ut ejus poſſeſſor eruditæ memoriæ erat adcuratiſſimus, ad omnes apices æri inſcalptum dubitare non poſſum, cum præterea adeo ipſius numiſmatii elegantiam ſua in epiſtola ad Vos Socii Clariſſimi data deprædicaverit. Fuerint, non ambigo, Academiæ noſtræ aliqui, qui, dum Florentiæ agerent, rariſſimum numum ipſum oculis, & manibus tra-

ctaverunt, ad hos libenter provoco, quia cum Harduino, & mecum fere consentient.

Quid quod certus pene sum, Harduinum ipsum, qui difficulter admodum ab sua sententia decessit, ut satis docet conflictus ille de numo Cæsareæ τῆς πρὸς τῷ σεβάστῳ λιμένι, de quo vide *Mem. de l'acad. de bel. let. Tom. XXVI.*, Harduinum, inquam ipsum viso hoc singulari Stoschiano cimelio genealogiam suam, in secundo nimis insolentium conjectionum ingenio temere procusam, ita mutaturum, ut conjugem etiam præ matre Carini Vrbicam foret agniturus. An enim novercam suo capiti conjungi (ut nihil dicam, in omni, qua patet, re numaria sine exemplo id esse) passus fuisset Carinus? Nec de matre quidem id admittere quis ausit, ne præter opinionem in conscelerata omni vita eam viguisse pietatem fateri cogatur, quam pauci adeo imperatores suis matribus inpenderunt: tum ne vivam sub aditum a Caro, minus etiam a Carino imperium præstare debeat.

Altum sane historicorum, qui nobis supersunt, omnium silentium contrarium potius persuadet, & Vopisci quidem, cujus tamen de Carino habemus plura, Vopisci, inquam, silentium, si quid video, demonstrat, Carini matrem ante septembrem anni V. C. 1035. mortuam fuisse; ipsum audiamus *pag.* 303. de Carino loquentem: *hic*, ait, *ubi patrem fulmine absumtum, fratrem a socero interemtum - - - comperit*; *majora vitia & scelera edidit, quasi iam liber a frenis domesticæ pietatis suorum mortibus* (ut pro *moribus* Salmasio, & Grutero consentientibus bene emendavit Casaubonus) *absolutus*. Cedo, quæ commodior scriptori se dare potuisset obcasio, aliquid de matre, quæ, ut quibusdam placuit, a pudicitia etiam in numis maximis laudabatur plurimum, suis commentariis inserendi? arbitror, majus frenum suæ licentiæ ac hac superstite, & augusta Carino imminuisse, quam a fratre natu minore,

&

& ætate quidem adeo inferiore, ut eidem provinciæ ipſius parentis ſententia necdum Romano more concredi potuerint, aſt Vopiſcus frena *domeſticæ pietatis fucrum* unice ad patrem, & juniorem fratrem, velut mater pridem memoria excidiſſet, reſtringit, quod profecto ſummæ negligentiæ ſcriptorem eum argueret, qui quidquid ad infamiam Carini facere poterat, ad poſteros transmittere in animo conſtituit.

Velim, ut hic Vopiſci locus, quemadmodum a me eſt expenſus, cum altero ſuperiore ejuſdem autoris de novem repudiatis uxoribus libero a præjudiciis animo & æqua lance libretur, deprehendetur profecto, certiorem multo Vrbicæ, ſi mater fuit, fuiſſe mortem non ſolum ante Carini ſubceſſionem, ſed ipſius etiam Cari electionem, quam vacuum Carini thalamum ejusmodi conjuge, cui in publica moneta auguſtæ titulus fuiſſet adjectus.

Sed quid tum, inquiet aliquis, viva ſeu mortua fuerit, parum id ad præſentem controverſiam facit, an non mortuis etiam matribus cuſi a filiis numi? ajo id quoque, verum proferatur numus aliquis inde a Marciana, ſatis longum temporis intervallum indulgeo, proferatur numus, in quo cum auguſtæ vultu, quæ e vivis exceſſerat, in averſa filii, nepotis, vel etiam conjugis ſuperſtitum caput fuiſſet unquam ſociatum; perluſtrentur numiſmata Juliæ Domnæ, quæ toties, dum viveret, cum filiis in ære conparuit, Mæſæ, Paulinæ, Marinianæ poſt mortem earundem flatæ monetæ inſpiciantur, pro Elagabali, Maximi, Gallieni vultibus pavo, aut ſimile conſecrationis monumentum reperietur in omnibus.

En ut deducta ex Vopiſci narratione matris Carini, quæcunque illa fuerit, ante aditum a Caro imperium mors adſertionem illam meam ſtabilivit, qua ſtilo converſo Vrbicam matrem Carini eſſe potuiſ-

fuisse negavi, en ut ex monumentis & pluribus, & monetariorum constante usu, velut ex insidiis Magnia Carini uxor conprobetur. Conparentur argumenta. Matrem Carini Vrbicam vult Cl. Belleyus, cum quia ex Vopisco uxorem eam fuisse non est probabile, tum quia plures matres cum filiis (quos in icunculis numi maximi etiam videre sibi visus est) in monumentis, nempe in numis, junctæ passim in museis adservantur.

Ego Magniam Carini uxorem volo, cum quia ex Vopisco non est probabile, ejus matrem vixisse, dum Carus purpuram induit, tum quia ex monumentis scilicet numis Juliæ Domnæ, Mæsæ, Paulinæ, Marinianæ constat, numquam viventium filiorum capita inde a Marciana capitibus mortuarum matrum a IIIviris monetalibus conjuncta fuisse; denique, ut ad summos apices omnia respondeant, ut Cl. Academico sigilla illa filios, hi vero matrem demonstraverunt, ita mihi omissus in numo Stoschiano DIVAE titulus matronam eam, & admodum juvenem quidem, non mortuam, vita vero illius uxorem ejus, qui in antica cælatus est, quam certissimo persuadet.

Injeceram superius *pag.* 11. mentionem numi maximi a Cl. Baldinio. *Tom. III. pag.* 220. relati, atque lineari pictura etiam repræsentati, in quo protomes Cari, & Carini cum hac epigraphe conparent: IMP. CARO. AVG. ET CARINO N. CAES.; huic majore longe jure adsertio illa convenit, quam Cl. Belley alteri ejusdem molis cum capite Vrbicæ, & typo Pudicitiæ in hæc verba adscribit: *Le Medaillon* (d'Albani) *fut probablement frappé peu apres l'avenement de Carus a l'empire.*

Quæro hic primum, cur non etiam alter B. de Stosch cum capitibus Carini & Vrbicæ, qui etsi mole inferior, elegantia tamen alteri est subpar (cum ejusmodi singularium numorum largitiones impe-

perii initium fere condecoraverint) eodem tempore flatus censeri possit? Respondet historiæ academicæ scriptor *pag.* 159. *La medaille de M. le Baron de Stosch ne paroit avoir eté frappés, qu'apres la mort de ces* (Carus) *empereur.* Sed cur id ita videtur? arbitror icunculas illas cum barbato Carini capite, matris tamen in utroque numo juvenili eodem non satis consensisse, noluisseque Criticum Parisinum, hinc in alias se syrtes abripi; verum de hoc inferius.

Quæro iterum hujus numi oblata obcasione, an monetarii non majorem gratiam se conlecturos sperare poterant, si exemplo superiorum imperatorum Cari uxorem, Carini & Numeriani matrem cum recens electi imperatoris capite eadem in numi area sociavissent, quam dum inprobi filii os inpudicum, quem teste Vopisco suum esse negabat, cui exautorato Constantinum subrogare volebat, venerando parentis capiti objecerunt, quia certus sum, nequaquam id patris jussione, minus adulantis populi Romani, qui tum necdum se ex horrore primorum nuntiorum receperat, voluntate id factum fuisse? quid aliud consequitur, quam matrem privatam supremum diem obivisse, atque propterea necessitate aliqua IIIviros ad hoc adactos fuisse?

Quia scio obponi posse, necdum omnes numos e terra erutos, diu admodum Stoschianum latuisse, fore, ut aliquando (de quo quidem omnes desperare jubeo) fore, ut etiam Carus se cum Vrbica sistat, observationi huic, quam tamen omnino prætermittendam non existimavi, diutius non inhæreo, sed eo inportunius DIVAE titulum, cujus paullo ante obiter memini, in numo Stoschiano exigo ab iis, qui Magniam Vrbicam Carini matrem volunt. Monumentis rursus contentionem instruo: inde a Marciana numus augustæ post ejus mortem cusus exhibeatur, qui non hoc ἀποθεώσεως signum præferat, unicum Mæsæ ex Patini indice *pag.* 419. nullo indicato museo in amplissima,

quam habemus, Mediobarbi conlectione inveni, qui parum obficit, cum quia in averſa certum conſecrationis & typum, & epigraphen habet, tum quia argumentum multo certius concludit, quam illud, quo Cl. Academicus matrem eam oſtendere adlaborat.

Conferantur iterum, ita ille (pag. 157.): *On voit ſur les medailles les tetes de* pluſieurs (ſex nempe, quas alibi enumeravi) *imperatrices au revers des tetes des empereurs leurs fils - - - On vient de montrer, que cette imperatrice n'etoit point l'epouſe de Carin, - - - Il reſulte du temoignage combiné des medailles, & des hiſtoriens, que Magnia Vrbica etoit Auguſte ſous le regne de Carus, l'epouſe de ce Prince, & la mere de Carin*; meum ita inſtruitur: in numis *omnium* auguſtarum inde a Marciana mortuarum præter illum Patini, qui tamen certam conſecrationis notam habet, adeſt titulus DIVAE, igitur, cum hic abſit in numo Stoſchiano, Vrbica eo in numiſmatio Carino conjuncta, quam paullo ſuperius regno Cari ſuperſtitem non fuiſſe oſtendi, ex teſtimonio tam numorum, quam hiſtoricorum, nequaquam Carini mater eſſe poterat, ſed uxor eſſe debebat.

Ad Cari annos hic ſolum reſtrinxi Vrbicæ vitam, ſi mater Carini fuiſſet, verum, ut alibi indicavi, nec maritum ſuum, ſi Cari fuit uxor, auguſtum vidit. Cari numos tam Græcos, quam Latinos habemus, qui eum divis inſertum conprobant, nullum, qui idem conteſtetur, Vrbicæ; facilius, exiſtimo, inpius filius, quorum mos eſt in parentum annos inquirere, eum honorem indulſiſſet matri, quem parenti ſuis vitiis admodum iniquo exhibuit, quam ut ejus vivæ vultum, tanquam *frenum domeſticæ pietatis ſuorum* eo moleſtius, quo jam ætate profecta fuerat, qualis eſſe debebat, ſi cum capite Carini barbato in numo maximo, vivo etiamnum patre cuſo confertur, quam, inquam, ut ejus vivæ vultum ſuo capiti in moneta conjungi eſſet paſſus.

Gra-

Gravius iam aliquid, quia longo monumentorum ordine fubfultum, in arenam produco, adnotationibus quibusdam præmiffis. Nemo facile Vrbicam ex augufta familia, priufquam Caro nuberet, fuiffe adferet, ne Harduinus quidem id cogitavit, etfi duas Aurelias inde a Commodo in fuo ftemmate* genealogico hiftoriæ auguftæ hic inferto derivet; ut de Cari patria non conveniunt fcriptores, quorum alii Illyricis parentibus, Poenis alii natum, hi Mediolanenfem, illi Romanum faciunt, ita liquet ex Vopifco eum *per civiles, & militares gradus* ad prætorii præfecturam fub Probo perveniffe; an, fi etiam veftigium deprehenderetur, augufto ex fanguine ortam Vrbicam, viro probo quidem, fed promeritis fuæ fortunæ fabro conlocata fuiffet?

Sed quorfum hæc, inquiet aliquis? confularium etiam filiarum nuptias non refugiebant augufti, ita quidem; velim paullifper fufpendatur animus, & quo, quæ præftruxi, exitura fint, manibus tenebimus. Ex augufta familia, repeto, Vrbica non fuerat, mortuam eam non fuiffe fub Cari perbrevi imperio ob defectum nummorum, qui de confecratione teftarentur, ex Vopifci loco ipfi Caro præmortuam confeci, igitur matrona, quæ in Stofchiano numo repræfentatur Carini mater effe non poterat. Eccur? Inde ab Augufto ad hæc, de quibus agimus, tempora nulli mortuæ, nifi vixiffet, dum filius ad imperium pervenit, aut alioquin in augufta familia fuiffet, a filio unquam numus cufus fuit, adeoque nec cum ejus capite. Mos hic monetariarum officinarum tam conftans legis antiquariæ, fi non publicæ, profecto vim habere cenfendus eft: igitur augufta, quæ Carino in moneta conjungitur, ejus mater effe non poterat, quare uxor effe debebat.

Satis iam de Carini matre nequaquam tum fuperftite, cum Stofchii numum ferierunt monetarii, difputavi, liberalis iam ero, contra meam mentem eidem, quocunque fuerit nomine, fub ipfo filii imperio

vitam produco, neque tamen hac via aliquid, quod Parisinam crisim tueretur, obtinebitur. Vivis matribus non solum filiorum permissu, aut jussu monetæ flatæ sunt, sed in his etiam filiorum capita conjuncta, quid igitur prohibet, Vrbicam Carini matrem in Stoschiano numulo agnoscere? Permulta, & ea quidem gravis momenti, quia historia iterum cum antiquis monumentis contenditur; ex iis, quas Cl. Belleyus produxit, & producere in medium poterat matribus, generalem rursus positionem constituo: Nulli matri vivæ ab filiis augustis percussi sunt numi, qui ambas effigies repræsentabant, præterquam iis, quæ aut se in imperii negotia ingesserant, aut filios, quos ad imperium provexerant, obstrictos habebant; ut adsertum hoc luculenter confirmem, expuncta ex Cl. Academici sexiga Severi uxore Domna, cujus numi cum Caracallæ, & Getæ Cæss. capitibus vivo Severo patre flati sunt, reliquas ordine persequar.

De Livia ita Dio *L. LVI. pag.* 688. edit. Steph. Προσέθηκα δὲ τὸ τῆς Λιουΐας ὄνομα, ὅτι καὶ αὐτὴ τῶν πραγμάτων ὡς καὶ αὐτάρχουσα ἀντεποιεῖτο. *Liviæ nomen addidi, quod ipsa etiam quasi imperatrix rebus imperii se ingessit.* Pluribus de eadem *L. LVII. pag.* 699. αἱ ἐπιστολαὶ αἱ τοῦ Τιβερίου καὶ τὸ ἐκείνης ὄνομα χρόνον τινὰ εἶχον, καὶ ἐγράφετο ἀμφοῖν ὁμοίως. *Epistolis Tiberii nomen matris aliquamdiu adjectum fuit, literæque ad Tiberium datæ etiam Liviæ inscribebantur.* Si nomina in epistolis ad publica negotia pertinentibus conjuncta, quid mirum, si etiam ipsi vultus in numis sociati fuerunt? Prosequitur post aliqua Dio: Τὸν Τιβέριον αὐτὴ αὐτοκράτορα πεποιηκέναι ἔλεγε· καὶ διὰ τοῦτο οὐχ ὅσον ἐξ ἴσου οἱ ἄρχειν, ἀλλὰ καὶ πρεσβεύειν αὐτοῦ ἤθελεν. *Ipsa se Tiberio imperium dedisse ferebat: ideoque non æquata modo potestate cum eo regere, sed priores ipso partes gerere volebat.*

Do-

Dubitari fere poſſet, an non Liviæ mandato numi illi bicipites flati fuerint, arrogantia ſane Cleopatræ illi trium Syriæ regum uxori nihil concedebat, ut mirum ſit, non ad hujus exemplum ſimili jugatorum vultuum typo Liviam cum filio nos ſpectare, quemadmodum Antiochi Grypi capiti & nomini Cleopatræ caput & nomen præpoſitum in numis intuemur. An quid ejusmodi de Vrbica, ſi mater fuiſſet, vel ſubſpicari licet, an id Carus vir integerrimus & antiquorum morum, an Carinus tuliſſet, an non ad primos nuntios de Cari electione ob arrogantiam hujus feminæ, quemadmodum ob inprobitatem filii ſenatum populumque inhorruiſſe etiam, conmemoraviſſet Vopiſcus?

Ad Cajum venio, quem quidem omittere forſan poſſem, quod numi cum ejus & Agrippinæ capite poſt matris mortem ſignati ſunt, quia tamen Cl. Academicus etiam hunc ad vivam Carini matrem in numo Stoſchiano conprobandam protulit, etiam hic locum habere debet. Quantum is matri detulerit, docet nos Suetonius *in Cajo c. 15. Confeſtim*, ſcribit, *Pandateriam & Pontias ad transferendos matris fratrisque cineres feſtinavit tempeſtate turbida, quo magis pietas emineret, adiitque venerabundus, ac per ſemet in urnas condidit; nec minore ſcena oſtiam præfixo in biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi ſubvectos per ſplendidiſſimum quemque equeſtris ordinis medio ac frequente die duobus ferculis mauſoleo intulit, inferiasque bis annua religione publice inſtituit: & eo amplius matri circenſes, carpentumque, quo in pompa traduceretur.*

Agrippinam Neronis matrem belle nobis depingit *Dio L. LX. pag.* 789. Ὡς δ' ἅπαξ ἐν τῇ βασιλείᾳ ἡ Ἀγριππῖνα ἐγένετο, τόν τε Κλαύδιον ἐσφετερίσατο δεινοτάτη που οὖσα πράγματι χρήσασθαι, καὶ τοὺς τινὰ αὐτοῦ εὔνοιαν ἔχοντας τὰ μὲν φόβῳ, τὰ δὲ εὐεργεσίαις ᾠκειώσατο, τόν τε υἱὸν εἰσποιήσασθαι τὸν

Κλαύδιον ἀναπείσασα, καίτοι παῖδας ἔχοντα, ἐς τὸ κράτος ἐξήσκει, καὶ παρὰ τῷ Σενέκᾳ ἐξεπαίδευε, πλουτοῦντε ἀμύθητον αὐτῷ συνέλεγεν. κ. τ. λ. *Agrippina ubi primum in palatium venit, mulier tractandis negotiis aptissima, Claudium statim sui juris effecit, quique ejus benevolentia utebantur, alios metu, alios beneficiis sibi devinxit, Claudio, quamquam ipse liberos haberet, ut filium suum adoptaret, persuasit, eumque ad gerendum imperium instruxit sub præceptore Seneca, conrasitque ei divitias, quæ explicari non poterant.*

Et post pauca: Η δὲ Αγριππίνα καὶ δημοσίᾳ πολλάκις αὐτῷ, καὶ χρηματίζοντι, καὶ πρεσβείαν ἀκροωμένῳ παρῆν ἐπὶ βήματος ἰδίου καθημένη. *Agrippina publice quoque persæpe de re publica respondenti, aut legatos audienti Claudio adfuit, proprio in tribunali considens.* Vidimus Agrippinam suis artibus ad rei publicæ gubernacula penetravisse, vidimus ab ea Neroni viam ad thronum stratam, quæ sub marito ad sexus sui probrum dominabatur, modestior forsan fuerit sub filii imperio? nullam hic pro purpura gratiam retulerit? dubium omne eximit Suetonius *in Nerone c.* 9. *Matri summam omnium rerum publicarum, privatarumque permisit.*

. . Pro Mæsa Elagabali avia conplura istiusmodi ex historicis subpetunt. Herodianus *L. V. pag.* 114. *edit. Steph*, ἦσαν δὲ τινὲς ἐξ αὐτῶν καὶ πρόσφυγες οἰκειοῖτε τῆς Μαισῆς, πρὸς οὓς ἐκείνη θαυμάζοντας τὸν παῖδα (εἴτε πλασαμένη εἴτε καὶ ἀληθεύουσα) ἐξεῖπεν, ὅτι ἄρα Αντωνίνου υἱὸς ἐστι τῇ φύσει· *Erant autem ex iis* (militibus) *nonnulli Roma profugi Mæsæ familiares: quibus illa formam pueri admirantibus (incertum mentita, an verum professa) filium utique esse ait Antonini.* Hoc mendacio ad regnum evectum narrat etiam Capitolinus *in Macrino pag.* 193.: *His* (militibus) *Masa sive Varia dixit, Bassianum filium esse Antonini, quod*

paul-

paullatim omnibus militibus innotuit. Erat præterea Mæsa ipsa ditissima - - - - qua promittente legiones abductæ sunt a Macrino.

Quem se erga aviam, matremque Soemiadem gesserit Elagabalus iam imperator, descripsit Lampridius *pag.* 198. Atque de illa quidem: *Vbi primum diem senatus habuit, aviam suam* (ita enim ex posteriore aliquo loco restituendum videtur) *in senatum rogari jussit, quæ quum venisset, vocata ad consulum subsellia scribendo adfuit, id est senatus consulti conficiendi testis; solusque omnium imperatorum fuit, sub quo mulier quasi clarissima loco viri senatum ingressa est.* De matre ibidem paullo superius: *Hic tantum Semiamiriæ* (Soemiadi) *matri deditus fuit, ut sine illius voluntate nihil in republica faceret.* Post pauca ludicrum illum senatum ab Elagabalo institutum, cui Soemias præsidebat, cum muliebribus senatus consultis, subjicit.

Alexander cum Mamæa supersunt; omitto, quo studio filium ad imperium formaverit, atque ab Elagabali insidiis protexerit, de hujus ambitione, & obsequente animo imperatoris ita Herodianus *L. VI. pag.* 128. postquam præmisisset, uxorem filio a matre datam, ab eadem, patre ejus etiam occiso, in Africam relegatam, causa addita: *βασίλισσα εἶναι θέλουσα μόνη, φθονοῦσα τε τῆς προσηγορίας ἐκείνῃ. cum ipsa tantum nominari augusta vellet, eumque titulum puellæ invideret;* subjungit: *ἦρχε γὰρ αὐτοῦ* (*τοῦ Ἀλεξάνδρου*) *καὶ ὑπερβαλλόντως ἡ μήτηρ, καὶ πᾶν τὸ κελευόμενον ἐκεῖνος ἐποίει, Mater illi* (Alexandro) *supra modum imperitabat, ac dicto audientem semper habebat.*

Quia nihil simile de Vrbica uspiam adnotatum legimus, quia de matre Carini, cujus ipsum nomen ignoramus, nec ex *περιστάσεσι* quidem cum aditi, vel gesti seu a Caro, seu a Carino imperii, tum ingenii tam patris, quam filii fingi potest, liquet, argumentum Cl. Belleyi

ex quinque matronarum numis inſtructum, ſi etiam vivam eam ſub Carini imperio præſtamus, tam parum efficere, ut matrem illam habeamus, quæ in Stoſchiano numiſmatio Carino eſt conjuncta, quam locus Vopiſci cum numo maximo evicerit, ut conjugem negemus, atque adeo univerſam illam hiſtoricorum & monumentorum conparationem, quam ad ſpeciem ſplendidam, tam fruſtra productam fuiſſe.

Ut hactenus hiſtoricorum plurium teſtimonio de monumentis in ſiniſtram partem contortis me triumphaſſe exiſtimo, ita iam numorum ſimplice autoritate contra unum hiſtoricum agam; ut ſuperius pro mortua DIVAE titulum, ita, ſi vixiſſet etiam, *MATRIS* nomen in Stoſchiana moneta ſaltem prima ſyllaba indicatum exigo, quod cum eo in cimelio, quod poſt mortem Cari ex conjectione Cl. Academici ſtatum fuiſſet, deſit, matrem eam eſſe potuiſſe iterum nego, atque per neceſſariam conſecutionem uxorem eſſe debuiſſe ſtabilio.

Sex matres Cl. Belley produxit, quarum vultus filiorum capitibus ſunt juncti, ſeptem ſiſto, in quarum numis etiam poſt mortem cuſis, etiam cum filiorum capite cælatis, quem requiro titulus adeſt, ita in Agrippinæ Germanici monetis leges: *Mat. C. Caeſ.*, in Agrippinæ Claudii capite Neronis in poſtica parte adjecto: *Mater Auguſti*, in æneis Domitillæ numis apud Mediobarbum: *Matri T. Caeſ. Veſp. Aug.*, in altero: *Matri Caeſ. Domit. Aug.*, in Domitiæ aureo: *Divi Caeſaris mater.*, in numis Juliæ Domnæ: *Mat. Augg.*, *Mater Aug.* in ſex numiſmatibus maximis Mamææ apud Vaillantium conparet.

Icunculæ illæ, ita iam arguo, ſi in numo maximo Vrbiœ iam Vaticano abfuiſſent, nemo illam Carini matrem agnoviſſet unquam, hic ſane Cl. Genebrierio, etiam ſine coniectura ex Vopiſci loco, ad hoc adfirmandum ita ſatisfaciebat, ut etiam eruditum Bandurium in ſuas

ſuas partes pertraxerit, nemo inquam his ſine eam matrem agnoviſſet unquam: multo minus igitur mater habenda eſt Carini capiti, quod bene expendendum, ſociata ex numo Stoſchiano, quia in aliarum ſeptem matrum monetis titulum hunc magno ſtudio, & conſtanti uſu adſcriptum legimus, ubi contra ſigilla illa vagæ interpretationis in duabus ſolum conſpeximus.

Erit, qui obmoveat, Soemias Elagabalo filio conjuncta in numo unico apud Vaillantium (cujus tamen ſimilis in muſeo Cæſareo Vindobonenſi conditur) nihil præter *Aug*. legendum objicit. Nempe numi duo, forſan ex eadem forma flati, numis plurimis omnis magnitudinis, & metalli ſeptem aliarum matrum obficient quidquam, dum ex more monetariorum, ex monumentorum autoritate decidendum eſt aliquid? ego ſane, niſi hiſtorici nos aliud de auguſta hac pellice docerent, lege aliqua ex obſervationibus facta, atque inferius majore in luce ponenda Soemiadem conjugem exiſtimarem potius. Verum ſenilis vultus obſtat, omiſerint ideo monetarii titulum matris, quæ ſe ſatis ipſis rugis proderet cum tribus Elagabali uxoribus conlata; ſi ea fuit adtentio monetariorum, citra dubium quam maxime titulum matris adjicere debuiſſent IIIviri numo Stoſchiano, vultus enim juvenilis Vrbicæ potius pro conjuge ejus pronunciat, quem Harduinus decem annis ſeniorem ex ipſa in numis ſignata utriusque effigie exiſtimavit.

Profecto de numi cujus demum cunque, qui ita ab uſu in officinis recepto diſcedit, ſinceritate ſubſpicio cauto antiquario in mentem merito veniret, an non a falſario ejus temporis, aut ut mitius quid cogitemus, errore monetariorum ex duabus anticis partibus ſit conpoſitus, quid ſi, ut ſtolidus erat Elagabalus, repentino mandato matris vultum ſuo capiti in pecunia conjungi juſſiſſet, atque monetarii, ut moræ inpatienti principi obſequerentur, ex pluribus, quæ ad manus

erant, Soemiadis typariis adripuissent aliquod? An si Caracallæ filius spurius ex Soemiade fuit Elagabalus, aut si Mæsæ (ut aliquibus videtur) mendacium deprehensum erat, Romanos pudere non poterat, aut nothi, aut subdiditii matris nomen in moneta signare? hæc & hujusmodi alia prius in mentem admittam, quam ut persuadear, ab sua regula adeo abivisse IIIviros denariorum flandorum, cui tamen in sororis Mamææ numis mox iterum tam sancte institerunt.

Placet hoc magis ad vivum resecare; in antiquaria nostra re publica observatu res digna est admodum, qua ratione monetarii uxores augustorum in numis designaverint, quo modo caverint, ne quis a nobilissimæ feminæ vultu in moneta signato deceptus, eam imperatoris thalamo inferret illico, nusquam quidem *Uxoris* aut *Conjugis* (id quod minime negligendum, quia *Matres*, *Sorores*, *Filias* characteribus indicatas novimus) vocabulum leges, *Augustæ* titulus eam definiebat, quia tamen hic aliis etiam, quæ augustos sanguine contingebant, delatus erat, primum summo studio intenti fuerant, ut has adjectis, quæ erroris periculum removerent, certis indiciis distinguerent.

Ita in numo Drusillæ legimus: *Soror C.*, in Juliæ: *Ti'i. F.*, in Marcianæ: *Soror. Imp. Trajani*, in Matidiæ: *Divæ Marcianæ F.*, omisi hic matres, de quibus satis superius; neque hac contenti præcautione primis duobus seculis titulo *Aug.* etiam mariti nomen adjungebatur; unde Græcus Poppææ adjectum habet: Νερωνος. Σεβαςυ, Octaviæ in numo Coloniæ Corinthi: *Neronis Aug.* Domitiæ: *Imp. Domit.* Plotinæ: *Imp. Trajani.*, Sabinæ: *Hadriani Aug.* Faustinæ majoris: *Antonini Pii.*, Crispinæ: *Imp. Commodi.*

Usu ita confirmato, satis illis videbatur discriminis solum *Aug.* nomini adscribere, præsertim ubi capita juncta erant; adtamen

etiam

etiam posterioribus his temporibus duo exempla inveni, quæ luculenter docent, IIIviros nulli in distinctione conjugum per *solum AVG.* operæ pepercisse. Est in Vaillantii editione Romana *Tab. III. pag.* 176. numus Alexandri Severi maximus cum capite Mamææ adverso, etiam lineari pictura repræsentatus, in hoc, etsi inscriptio fere totum orbem conplet, *Mater Aug.* minoribus characteribus in segmento infimo cælatum est, eccur hoc? nisi ut ne quis Romanis historicis destitutus (ut sumus de matre & uxore Carini) unquam augustam imperatori in eadem numismatis area objectam, conjugem habeat.

Præstantius est alterum: adnotatur in museo Thenpoli *T. II. pag.* 804. numisma item maximum cum adversis capitibus Alexandri, & Orbianæ ita inscriptum: IMP. SEV. ALEXANDER. AVG. SAL. BARBIA. ORBIANA AVG., in aversa parte conparet caput Mamææ; arbitror satis quemque existimare potuisse, Alexandrum probum principem nequaquam duas eodem tempore uxores habuisse, aut pellicem cum conjuge in numo missili repræsentari voluisse, verum harum eam, quæ in postica se objicit, matrem fuisse, non tamen id satis erat monetariis, non in eo adquiescebant, ut eam partem solum inscriberent: IVLIA. MAMAEA. AVG., adjiciendum censuerunt: MAT. AVGVSTI., ut scilicet suum conjuges per solum AVG. distinguendi morem magis omnibus confirmarent.

Ex tam constante more uxores augustorum designandi communis antiquariorum fluxit regula, quam conceptis Vaillantii verbis subjicio, ita ille *T. II. pag.* 237. ad numum Juliæ Piæ, cui in aversa Severi caput est conjunctum: *Effigies augustæ in augusti numis exarata eorum concordiam præsertim denotat, & ii apud antiquarios magnæ sunt æstimationis, non modo ab eorum raritatem, sed quod eos doceant, conjuges esse, ut Sall. Barbiæ imago in Alex. Severi numo signata, &*

 Etru-

Etruſcillæ cum Traj. Decio ex adverſo percuſſa: quod prius ignorabatur. Pro hujus confirmatione, ne per omnes, qui de numis ſcripſerunt, eundum ſit, Cl. Seguini ſententiam addo de numo Græco Decii ex muſeo regio cum capite Etruſcillæ *pag.* 291. in hæc verba ſcribentis: *Quid enim conſociata viri mulierisque capita additis Decii & Etruſcillæ nominibus* (poterat adjicere: cum *ſolo titulo* CEB ſeu *Aug.*, & adjeciſſet forſan, ſi hæc de Vrbica controverſia tum mota fuiſſet, ut ſatis ſequente pagina indicat) *niſi utrumque conjugem deſignant?*

Videte Viri Clariſſimi, ne, ſi ab hac lege, iis, quæ præſtruxi fundamentis ſubnixa abimus, ſi Vrbicam matrem Carini patimur, conjugem negari libere permittimus, in tenebras feliciter depulſas demergamur iterum; ne via ſternatur, ut Orbiana etiam, & Etruſcilla ſuis thalamis exturbentur. Lampridius cum ſua Memmia Alexandri auguſti conjuge, his repagulis perfractis, ſane plus contra Orbianam efficiet, quam Vopiſcus contra Vrbicam, præſertim cum illius adulterini numi ab aliquibus inter cimelia ſint repoſita, hæc (de Orbiana loquor) ob adjunctum Mamææ caput in numo muſei Theupoli Alexandri fiet filia; Etruſcillam hiſtoricorum ſilentium matrem Decii, ut Vrbicam Carini conſtituet denique, nomen enim illud Herennii & Etruſci cæſares æque ab avia, quam a matre trahere poterant.

Edicite quid huic confuſioni genealogicæ & numariæ aggeris obponi poſſit; non ſolitas fuiſſe filias auguſto parenti conjungi? aſt oſtendi pluribus, neque matres filiis, ſi unam Soemiadem excipis, ſine titulo: *Mat. Aug.* unquam in numis ſociatas fuiſſe, hæc proinde exceptio Orbianam Alexandri thalamo non reſtituit. Quid contra Etruſcillam Decii matrem vultus in eadem anticæ area conſignatus conprobabit? Scimus Juliam Domnam Caracallam filium eodem modo reſpicere; an juvenilis vultus materna poteſtate ætate gravem Decium eximet?

met? ne minimum quidem, si Carini prolixa barba, atque ii oris ductus, ob quos ille decennio senior Vrbica Harduino videbatur, a materno latere, ne dicam, gremio Vrbicæ sub pupuli specie abstrahere minime possunt.

Ego quidem sic existimo, in quacunque controversia, dum nos historici destituunt, dum ex antiquis monetis historia subplenda est, utendum esse regula tutissima & plurimum conprobata; uxores eas de quibus libri, qui ad nos pervenerunt, meminere, semper per solum AVG. designatas vidimus, idem communi antiquariorum consensione confirmatum tenemus; quid ergo certius in præsente argumento statui poterit, quam Vrbicam, solo AVG. indicatam, Carino in aversa parte junctam, ejus esse conjugem agnoscendam, præsertim cum uxores undeviginti maritis, matres sex tantum, easque ejusmodi, quibus imperatores aut imperium debebant, aut deferebant omnia, matres inquam, sex tantum filiis conjunctas intueamur.

Ex his, quæ pluribus iam disputavi, consequitur, non solum parvulum Inl. Stoschii, sed & maximos duos numos, Albanum alterum, satis diu a me divexatum, alterum de Campii cum epigraphe: VENVS. VICTRIX. eodem tempore, quo Carinus patre mortuo imperium adivit, Magniæ Vrbicæ non matri, sed uxori cusos fuisse, numorum ipsorum inspectio, & conparatio id citra dubium confirmat etiam; numisмation, quod Vrbicam cum Carino repræsentat, tanti artificii & elegantiæ est, ut novam classem minimæ formæ eorum numorum, quos *Medaillons* hactenus dicimus, teste ipso peritissimo olim hujus cimelii possessore constituere promereatur.

Novimus missilia istiusmodi numismata præcipue obcasione publicorum festorum, & eo plura atque magis diversa, quo hæc majore

magnificentia exhibita, fuiſſe ſignata; de ludis a Carino editis ita Vopiſcus *pag.* 303. *Memorabile maxime & Carini, & Numeriani hoc habuit imperium, quod ludos Romanos novis ornatos ſpectaculis dederunt*, quos deinde fuſius deſcribit, non ſecus ac Calpurnius, ex quo ea ſolum, quæ Corydon ſummatim canit, placet adſcribere. *Eclog. VII. v.* 44.

certe
Vilia ſunt nobis quæcunque prioribus annis
Vidimus, & ſordet, quidquid ſpectavimus olim.

Nihil ſimile de Caro uſpiam legimus, pro ludis ad exercitum contra Perſas ducendum rapitur, & ſane ex omnibus conlectionibus Cl. Baldinius non plures duobus numis maximis Caro percuſſos producere potuit, ubi Carini, & Numeriani (hos enim cum auguſti & imperatoris titulo non alio tempore flari potuiſſe, mors ab Apro inlata evincit) ſex, duos Vrbicæ repræſentat.

Quod horum poſteriorem adtinet, argumentum non omnino negligendum mihi ſub manu naſcitur: typus deæ cum epigraphe: VENVS. VICTRIX. aut VENERI. VICTRICI. in Vrbicæ numis omnis metalli, & formæ decem & tribus aliquantum diverſis a Cl. Bandurio eſt adnotatus, ſimilis pars averſa in monetis Carini & Numeriani ſe obfert, verum inter plurimos Cari numos, quos idem conpilator per undecim paginas recenſet, ne, unus, qui Venerem Victricem objicit. Si Genebrierii, & Harduini diligentiam laudamus, qua ex ſiglis in hujus ævi numis obcurrentibus, de quibus tamen adhuc exiguam lucem habemus, ſi Cl. Cl. hi duumviri ex adſcriptis literis, & numeris rem ſe determinare poſſe ſunt arbitrati, certius aliquid ex typorum ſimilitudine me eliciturum exiſtimo.

Non